

vel superior vigore cuiusvis facultatis aliquem ad habitum & professionem admittere possit, nisi ut in Ordine ipso, ad quem transferatur, sub sui Superioris obedientia in claustra perpetuo maneat, ac taliter transdatus etiam Canonico regularium fuerit, ad beneficia secularia etiam curata omnino incapax existat.

40. Julius Papa III. morte sua, qua decimo Kalendas Aprilis obiit anno 1551. Concilium interrupit: cuius electus est loco Marcellus Cervinus Cardinalis Presbyter, tituli Sanctæ Crucis in Jerusalem, qui sub Paulo Papa III. fuerat secundus in Synodo Tridentina Apostolicus Legatus. Huius jam inde a pueritia & sapientia in spem excellam probos omnes erexerat. Sed eum Deus tantum ostendit terris, retentoque pristino Marcelli II. nomine, vigesimo secundo Pontificatus die ad celum evolavit. Cui datus est successore Cardinalis Carafa, Episcopus Ostiensis, factique Collegii Decanus, qui sibi Pauli quarti nomen indidit: exactoque in suprema dignitate amplius quadriennio, vacuum sedem reliquit ad quam processit est Cardinalis S. Priscæ Presbyter, Joannes Medicus Mediolanensis, dictus deinceps Pius IV. Huius ergo Pontificatus anno tertio Christiæ 1562. Januarii 18. Tridentinum Concilium sub Julio tertio suspensum & dilatum, resumptum est, hortante impense Sancto Carolo Borromeo Pii Pontificis ex forore nepote, qui ab avunculo creatus Cardinalis, universæ Christi Ecclesiæ velut sydes effulsit: Primaque sub Pio, que numeratur a Concilii exordio 17. sessio inita est, in qua dum expectatur major ac frequentior Prelatorum concursus, constituta est prorogatio in diem Februarii 26. ejusdem anni; atque inter hæc provisum est de librorum examine ac delectu, eaque demandata cura quibusdam Patribus examinis & contendi noxiorum librorum indicis, ut zizania a tritico segregarentur. Invidiam etiam font fecerunt, ut ad Concilium animo pacifico accederent, benigne suscipiendi & audiendi, eaque de causa promulgatum est publicæ fidei ac securitatis edictum seu salvo conductus, qualis ab eodem Concilio fuerat initio expeditus sub Paulo tertio. Sessiones 18. 19. & 20. nihil gestum continent præter supplices ad Deum preces & sacri Concilii iteratas prorogationes.

41. Sessione XXI. ad nova decreta & sanctiones ventum est. In primis declaravit sacra Synodus conformiter ad Constantiense Concilium sessione 13. Laicos & Clericos non scientes minime atringi jure divino ad Communionem sub utraque specie. Secundo, hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret, vel mutaret, quæ suspensio utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum, & locorum varietate magis judicaret expedire. Quam rem Apostolus non obscure videtur innuere, dum ait: Sic nos existimet homo ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, 1. Cor. 4. atque ipsum potestate usum fuisse satis constat in hoc ipso Sacramento, cum ordinatis nonnullis circa ejus usum, Cetera, inquit, cum venero, disponam, 1. Cor. 11. Quare cognoscens Sancta mater Ecclesia suam istam in administratione Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Christianæ religionis non infrequens usus utriusque speciei fuisse; tamen progressu temporis, gravibus & justis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit & pro lege habendam decrevit: quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate prohibito mutare non licet. Tertio declarat, totum & integrum Christum ac verum Sacramentum sub qualibet specie sumi. Quarto, parvulos non obligari ad Communionem Sacramentalem, siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate amittere non possunt. Inde progreditur ad decreta reformationis.

Cap. I. Quoniam ab Ecclesiastico Ordine omnis avaritia suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque Ordinum, etiam Clericalis tonsuræ, nec pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunque de causa, etiam sponte oblatum, Episcopi & alii Ordinum collatores, aut eorum ministri quovis pre-textu accipiant: Notarii vero in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimissoriis aut testimonialibus, decimam tantum unius aurei partem accipere possint; dummodo eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo: nec Episcopo ex Notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem Ordinum collationibus, directe vel indirecte provenire possit. Huc refer Chalcedonensis Concil. can. 2.

Concilium Nicænum secundum renovat penas simoniæ tam ordinantium, quam ordinatorum, atque mediatorum; preterens canon. Apostolorum 30. & Chalce-

donensem illum 2. Concilio pariter Andegavensi secundo can. 3. & 4. propria dignitate abdicantur Antifites quicumque per simoniam ordinaverint. Præterea Concil. Lateranense primum sub Calisto Papa II. 1123. can. 1. vetat, simulque in irritum deducit quascunque ordinationes pretio factas. Cui suffragatur Lateranensis Concilii secundi sub Innoc. II. decretum generalius etiam loquens de præbendis & quibuscunque provisionibus Ecclesiasticis, necnon de sacro Chrismate, Oleoque sancto & de consecrationibus Ecclesiarum, vel Altarium: & de Sacramentis pretio collatis, can. 2.

Cap. II. Cum non deceat eos, qui Divino ministerio adscripti sunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem questum exercere: compertumque sit complures plerisque in locis ad sacros Ordines nullo fere delecta admitti, qui variis artibus ac fallaciis confingunt se beneficium Ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere: statuit sancta Synodus, ne quis deinceps Clericus secularis, quamvis alias sit idoneus moribus, scientia, & aetate, ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime confiteretur beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad vitam honeste sufficiat, pacifice possidere. Id vero beneficium resignare non possit nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi confitio quod aliunde vivere commode possit; & aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi quos Episcopi judicaverint assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum: eo quoque prius perspecto, patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse que eis ad vitam sustentandam satis sint: atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui vel remitti nullatenus possint, donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti vel aliunde habeant unde vivere possint: antiquorum Canonum penas super his innovando.

Eadem statuit Concilium Lateranense III. sub Alexandro Papa III. p. 1. cap. 5. Huc pertinet c. si Episcopus de præbend. in 6.

Cap. IV. In omnibus Ecclesiis parochialibus vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui Divino peragendo, Episcopi tanquam Sedis Apostolicæ delegati, cogant Rectores vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda & cultum divinum celebrandum. In iis vero in quibus ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad Sacramenta percipienda & divina Officia audienda accedere non possunt, novas parochias etiam invitatis Rectoribus juxta formam constitutionis Alexandri III. que incipit: Ad audientiam, de Eccles. adif. constituere possint. Illis autem Sacerdotibus, qui de novo erant Ecclesiis noviter erectis præficiendi, competens assignetur portio arbitrio Episcopi, ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocunque pertinentibus: & si necesse fuerit, compellere possit populum ea subministrare, que sufficere possint ad vitam ditorum Sacerdotum sustentandam; quacunque reservatione generali vel speciali, vel affectione super dictis Ecclesiis non obstantibus. Neque hujusmodi ordinationes & erectiones possint tolli, nec impediri ex quibuscunque provisionibus, etiam vigore resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus vel suspensionibus.

42. Cap. V. Ut etiam Ecclesiarum status, in quibus sacra Deo officia ministrantur, ex dignitate conserventur, possint Episcopi etiam tanquam Apostolicæ Sedis delegati, juxta formam juris, sine tamen præjudicio obtinentium, facere uniones perpetuas quarumcumque Ecclesiarum parochialium, & baptismalium, & aliorum beneficiorum curatorum, cum curatis propter earum paupertatem, & in ceteris casibus a jure permisis: etiam si dicta Ecclesia vel beneficia essent generaliter vel specialiter reservata, aut qualitercumque affecta. Que uniones etiam non possint revocari, nec quomodocumque infringi, vigore cuiuscunque provisionis, etiam ex causa resignationis, aut derogationis, aut suspensionis.

Vide c. sicut unire, de excessib. Prælat. ubi potestas uniendo Ecclesias ex justa causa reservatur Episcopi, dummodo sint intra unam eandemque diocesim; denegatur autem inferioribus Prælati. Et tamen hoc ipsum Concilium Trident. sess. 24. c. 13. de reform. istiusmodi uniones Papæ servat.

Can. VI. Quia illiterati & imperiti parochialium Ecclesiarum Rectores sacris minus apti sunt officiis, & alii propter vitæ eorum turpitudinem potius destruant quam edificent, Episcopi etiam tanquam Apostolicæ Sedis Legati eisdem

eisdem illiteratis & imperitiis, si alias honeste vitæ sint, coadjutores aut vicarios pro tempore deputare, pariterque eisdem fructum pro sufficiente victu assignare, vel aliter providere possint, quacunque appellatione & exemptione remota. Eos vero qui turpiter & scandaloſe vivunt, postquam premoniti fuerint, coercere & castigare: & si adhuc incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos beneficiis juxta sacrorum canonum constitutiones, exemptione & appellatione quacunque remota, privandi facultatem habeant.

Can. VII. Ubi Ecclesiæ veritate collapsæ sunt nec per inopiam instaurari valent, Episcopi possunt vocatis illis, quorum interest, in matricem Ecclesiæ locorum illorum aut vicinorum, illas cum emolumentis simul & oneribus annexis transferre, erigendo in predictis matricibus capellas vel altaria sub eisdem invocationibus; Parochiales aut Ecclesias etiam si parochianatus sint, ita collapsas refici & instaurari curent ex preventibus earundem: qui si non sufficiant, patronos aliosve, qui fructum aliquem ex earundem preventibus percipiunt, aut, his deficientibus parochianos ipsos omnibus opportunis remediis compellant, quacunque appellatione, exceptione, aut exemptione remota. Quod si omnes nimia egestate laborent, ad matricem suas viciniores Episcopi transferant, cum facultate convertendi in profanos, non tamen sordidos usus, dirutas Ecclesias, erecta ibi Cruce.

Sessionis XXII. Cap. IV. de reform. Ut nemo de Ecclesiis, sive seculari, sive regulari, vocem habeat in Capitulo, etiam si id ei ab aliis concessum fuerit, nisi in Subdiaconatus saltem Ordine constitutus sit.

Hoc ipsum jam pridem constituerat Viennense Concilium Clement. ut ii qui in Divinis de atat. & qual. & ordine præficiendum.

43. Hoc eodem cap. IV. vetatur, ne deinceps de beneficio cuiquam provideatur quam illis qui atatem ceteraque omnes qualitates & habilitates habent, ut statim actu omnia beneficii onera exequi possint per se ipsos: alioquin irritam declarat provisionem. Huc pariter intendit d. Clement. ut ii qui. Veruntamen usus obtinet, ut in beneficio Sacerdotali, cui etiam cura incumbat animarum, sufficiat, si provirus in eo statu sit, & aptitudine, ut possit intra annum ordinari Sacerdos: c. cum in cunctis de lectio. & c. licet canon. de elect. in 6. Si vero non fuerit intra annum promotus in Sacerdotium, (nisi ex justa & probabili causa ortum fuerit impedimentum) vacet ipso jure præbenda. Ceterum si ex lege fundationis, vel speciali statuto, aut consuetudine, sacerdotalis Ordo actu exigeretur in impetrante, tunc non sufficeret præfata in annum aptitudo. In universum edidit Trident. Synodus hoc ipso cap. 4. & insuper sess. 24. de reform. cap. 4. S. neminem. Ut nemo quodcumque beneficium, cui sit aliquod annexum onus, obtinere possit, nisi aptus sit, ut intra ipsum annum Ordinem suscipiat ad id oneris requisitum. Hoc enim vetera quoque jura insisterunt, c. cum in cunctis §. inferiora, de elect. & c. 1. de atat. & qual. & ordine præficiendi. & d. Clement. ut ii qui.

44. Potest igitur aliquis de curato beneficio provideri nondum Sacerdos, dummodo annum XXIII. sit sic expleverit, & exacto inde anno etatis XXIV. ac prinde incepto XXV. juxta Tridentinum sess. 23. cap. 12. de reform. possit consecrari Sacerdos. Cum enim Concilium duo hæc perspicue declarat, posse quem anno inchoato vigesimo quinto Sacerdotio initiari, & præterea beneficium curatum posse illi conferri, qui Sacerdotio possit intra annum promoveri; sequitur, ut tale conferri beneficium possit illi, qui annum vigesimum tertium expleverit; ut docet Prosper Fagnanus in cap. cum in cunctis, de election. addens hanc vigere praxim, iudicis quoque Cardinalium sacre Congregationis firmatam, n. 63. & 64. Porro concessum illum promotionis ad Sacerdotium annum probant jura pariter Gallicana edicto Blesensium comitorum sub Henrico Rege III. art. 9. Cui accedit Henrici IV. conformis constitutio anni 1606. art. 1. cum Francis Jurisconsultis, Rebuffo in praxi titul. de non promotis intra annum, num. 44. Papone lib. 3. Senatusconsultorum decif. 3. Bocello in praxi benefic. ver. At de promotion. alii que.

Ejusdem Sessionis XXII. in decreto de observandis & evitandis in celebratione Missæ, hoc decernitur. Singuli Episcopi in suis Diocesis interdiciant, ne cui vago & ignoto Sacerdoti Missas celebrare permittant. Neminem præterea, qui publice & notorie calumniosus sit, aut sancto Altari ministrare, aut sacris interesse permittant. Vide superius annotata ad Sess. 13. cap. 7.

Ex eodem decreto, de observandis & evit. in celebr. Missæ. Neque patiantur Ordinarii privati in domibus neque omnino extra Ecclesiam, & ad divinum cultum tantummodo dedicata oratoria, ab eisdem Ordinariis designanda & visitanda, sanctum hoc sacrificium a secularibus aut regularibus quibuscunque peragi.

Cassan. Notitia Ecclesiastica.

Concilio Laodicensi hoc idem prohibetur; can. 58. vide ibid. mea scholia. Idemque cavetur de consecr. dist. 1. c. 1. & c. hic ergo, & c. nullus Presbyter, & c. unicuique, & c. Clericos, ibid.

45. Sessionis ejusdem cap. 8. de ref. Ordinarii demandatur cura Hospitalium, ceterorumque locorum pietatis. Et cap. 9. statuitur, ut eorumdem locorum pariterque confraternitatum administratores singulis annis coram Ordinariis rationes reddant. His suffragatur Clement. quia contingit, de religion. domib. & lex 55. Cod. de Episc. & Cleric. & titul. Cod. de Xenodoch. atque Henrici III. Melodunense edictum. Rex vero Ludovicus XIII. sedens in suo supremo Concilio, præcedentiam adjudicavit Vicario Archiepiscopi Rhemensis supra Locumtenentem generalem, simulque juramentum requisitionem in reddendis rationibus Rectorum Hospitalium ceterorumque piorum locorum, ut referuntur in actis Cleri Gallicani. Et lex Francisci I. anni 1545. artic. 9. quam refert Charondas in Cod. Henrico lib. 1. tit. de Hospitalibus jubet Hospitalium rationes quotannis reddi in præsentia Episcopi, aut ejus Vicarii generalis.

46. Sessione XXIII. Can. VI. Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse hierarchiam Divina ordinatione institutam, que constat ex Episcopis, Presbyteris, & ministris; anathema sit.

Elias Cretenſis Metropolitæ hæc scribit in orationem 1. Gregorii Nazianzeni: Ecclesiæ nostræ hierarchia interjecta est inter caelestem & Mosaicam seu legale, & cum harum utraque communicat. Caelestem enim divinarum rerum speculationem ab omni materia remotam habet, divinæ formæ, ad quam nulla res sensibilis pertingere potest, similitudinem quandam habet. At vero hierarchia legalis ritibus quibusdam corporis & observationibus sensibilibus tota propemodum addicta est, carnalibus intenta sacrificiis, circumfisioni carnis, atque infirmis & egenis (ut dicit Apostolus) elementis deserviens. Ceterum Ecclesiæ Christi hierarchia in terris constituta constat officiis & Sacramentis partim circa res sensibiles, & partim circa intelligibiles versantibus; sic tamen ut omnes ejus sensibiles ac externi ritus gratiam spiritus & sanctificationem interiori operentur, dummodo nihil obstat prava hominis vita. Lex Mosaicæ tota circa externas corporeasque preceptiones versabatur: Lex vero Christi reformationem hominis interiori & intimam perfectionem jugiter intendit & operatur. Tametsi vero sancti Patres communiter docent, Circumcisionem justificasse peccato, hunc tamen tribuunt effectum non exteriori carnis ritui, sed actui fidei cum Circumcisione concurrenti de Christo venturo, quæ utique de Christo fides exigebat ut conditionem sine qua non ipsum sensibilem Circumcisionis actum. E diverso Sacramenta Ecclesiæ propria virtute suscipiunt sanctificant, dum amoveatur omnis peccati mortiferi obex, ut docet post Græcos Latinosque sanctos Patres S. Thomas 3. p. qu. 70. art. 4. Eaque mente Apostolus negat Abrahamum ejusque posteros justitiam ex Circumcisione aliiſve operibus veteris Testamenti recepisse, sed ex sola cum his concurrente in Christum venturam fide. Idemque asserit, 1. Cor. 7. Circumcisio nihil est, & præputium nihil est. Et Gal. 4. Quomodo iterum convertimini ad infirma & egena elementa. Et Gal. 6. Neque circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed nova creatura. Sunt & alia passim ejusdem Apostoli luculenta testimonia: quorum fidelissimus interpres Angelicus Doctor ad cap. 4. ad Rôman. lect. 2. hæc breviter & perspicue dicit ad mentem Apostoli, Circumcisionem esse tantum justificationis signum, non effectivam causam. Deinde disertis verbis illis rem elucidat: Dicendum est, quod Circumcisio ex ipso opere operato non habebat virtutem effectivam, neque quantum ad remotionem culpæ, neque quantum ad operationem justitiæ, sed erat solum justitiæ signum, ut hic Apostolus dicit; sed per fidem Christi, cujus circumcisio signum erat, auferebatur peccatum originale, & conferebatur auxilium gratiæ ad recte agendum.

Docet in sua Ecclesiastica hierarchia S. Dionysius, militantem in terris Ecclesiam in hoc ipso regnantem inter caelos Ecclesiæ similitudinem referre ut quemadmodum qui Deo proximus assident, ab inexhausto divinitatis fonte vim perficiendi, illuminandi, & purgandi recipiunt, quam in Angelos inferiores effundunt: cum sit lex & ordo a superna rerum omnium causa stabilitus, ut per superiores causas creatas dirigantur inferiores per virtutem ab ipso DEO ut primo & universali omnium motore dimanantem. Nec solum in intelligibilibus naturis lex ista viget, sed etiam in illis que ratione vel cognitione destituuntur. Quis enim nescit caelorum motione sphaeras quoque inferiores ceteri ac moveri & substantias elementales syderum influxu regi & immutari,